

promulgare seu novis et indebitis exactionibus vos aggravare presumat. Inhibemus preterea, ne terras seu quodlibet beneficium ecclesie vestre collatum liceat alicui personaliter dare vel alio modo in casibus non concessis alienare presumat. Ad hec etiam prohibemus, ne aliquis monachus sub professione domui vestre astrictus sine licentia et consensu abbatis et maioris partis vestri capituli pro aliquo fideiubeat vel ab aliquo pecuniam mutuo accipiat, ultra preterque<sup>21</sup> abbatis et capituli vestri providentia constitutum,<sup>22</sup> nisi propter manifestam domus vestre utilitatem. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni et extreme voluntati, quod se illuc sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obstet, salva tamen iustitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Obeunte vero te nunc eiusdem loci abbate vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia seu violentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum maior pars sanioris consilii secundum deum et beati Benedicti regulam previderint eligendum. Nullus preterea ipsius loci advocatiam sibi occupare<sup>23</sup> vel usurpare presumat, nisi quem abbas et fratres ad honorem dei et utilitatem ipsius monasterii idoneum esse perspexerint. Libertates quoque et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus ordini vestro concessas nec non et libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti privilegio communimus. Paci quoque et tranquillitati vestre paterna in posterum sollicitudine providere volentes auctoritate apostolica prohibemus, ut infra clausuras locorum seu<sup>24</sup> grangiarum vestrarum nullus rapinam seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem temere capere vel interficere, seu violentiam audeat exercere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre aut ablatas retinere minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur eorum, quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva sedis apostolice auctoritate ac diocesanis episcopi canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Innocentius catholice ecclesie episcopus ss.

† Ego Petrus Portuensis et sancte Rufine episcopus ss.